

ritus nisi quem per regenerationem accipit: an non est alio
 qua nostri pars, spiritus, quem creatione accepimus? an non
 alius, & distinctus in nobis, nosterque spiritus, ab illo Dei
 sanctificante nos spiritu? In homine tria hæc esse, & uelut
 partes quasdam eius, carnem seu corpus, animam, & spiritum,
 an non clarissimis uerbis testatur Apostolus, cum opor-
 tando dicit, Ut integer spiritus uester, & anima, & corpus,
 in die domini nostri Ihesu Christi seruetur? An, de Christi,
 ac Dei sanctificante nos, quem per regenerationem accep-
 pimus, spiritu, hæc dicit Apostolus, ut illum oportet seruari
 integrum, in die domini nostri Ihesu Christi: imò audi eun-
 dem aperte distinguentem, Dei spiritum, quem per regene-
 rationem accepimus, a nostro spiritu. Ipse enim spiritus, in-
 quit, testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij
 dei, Ipse dei spiritus, qui in cordibus nostris diffusus est, ipse
 se inque adoptionis spiritus, in quo clamamus, abba, pater, te-
 stimonium reddit spiritui nostro. Alius est ergo dei ille in
 nos diffusus spiritus, qui testimoniū perhibet: alius noster
 spiritus, a quo illum distinguit Apostolus, & cui ille testi-
 monium perhibet. Habemus ergo etiam nostrum, & pro-
 prium spiritum, quem per creationem accepimus, distin-
 ctum ab illo Dei sanctificante nos spiritu, quem per regene-
 rationem accepimus. Quod ipsum, etiam Daniel atque
 testatur, in illo trium puerorū hymno. Benedicite, inquit,
 spiritus, & animæ iustorum domino. Spiritus dicit, plurali-
 liter, & animæ iustorum: at ille Dei, nos per regenerationē
 sanctificans, unicus, & simplex est spiritus. Quid igitur? Sui ne
 dogmatis euidētē falsitatē adhuc non intelligūt? Adhuc uni-
 uersus illis homo ante regenerationē caro est: & nihil spiri-
 tus habemus, nisi quod per regenerationem accepimus?

Quin, & hoc nobiscum paulo perpendant diligentius,
 quis sit ille spiritus, inter quem, & carnem, irreconciliabile

H bellum

tentia, quæ de
 niuersam ho-
 minis naturā,
 carnem faciūt
 & nihil spiri-
 tus, nisi per re-
 generationem
 habere affir-
 mant.

Alium esse no-
 strum spiritū,
 alium Dei in
 nos diffusum
 spiritum.